



DRACHENBERG.

Cæsaream devoluta Anno 1641. à Domino Ferdinando III. Imperatore gloriosissimæ memoriæ præfato Domino Melchiori Comiti de Hazfeld, Jure allodii ad Fœminas æquæ ac Mæculos transeuntis concessa est; à quo cœlibe & sine tabulis mortuo, dimidia Fratri Domino Hermanno, & hoc defuncto ejus Filiis, dimidia Sorori germanæ Dominae Lucia, Domini Bertrami Liberi Baronis de Nesselrode, Herten, Stein & Ehrenstein, Electori Colonienfi à Consiliis intimis & Gubernatoris in Vestà Recklingshausen, Uxori jure successionis accrevit, eadem vero demum Anno 1681. post obtentam à Domino Francisco, Libero Barone de Nesselrode paternarum dignitatum virtutumque hærede & Sacræ Cæsareæ Majestatis Camerario in Camera Spirensi, & apud Supremum Principum & Statuum Silesiæ inappellabile Tribunal causam, in duas æquales partes divisa est. Dominis Comitibus oppidum Drachenberg, cum pagis Schmigeroda, Heydichen, Korfenzko, Dambno, Laskova, Raschuns, Karbiz, Kotleva, Kensche, Gros- & Kleinbargen, Wangleva, Beuchau, Klischviz, Marentschin, Scheitenau & Sayn; Domino Baroni de Nesselrode oppidum Prausniz, cum pagis

& arce Povizko, Parochiâ & horto celebri, Gros- & Klein-Ossig, Herren- & Gros-Kaschiz, Doberdoviz, Przitcoviz, Buckolova, Hammer, Nesigoda, Wilkova, Gotka, Girckviz & Klein-Krotschen obtigit. Sub illis Baro de Garnier, prædia, Leubel & Laschize, Equestris Ordinis Possessores pagos Rogosova, Karnizium, Wirsebennam; sub hoc Comitissa Colonna Pinxen, Baro de Garnier, Exau & Klein-Strenz, Equites Dambitsch, Labschiz cum appertinentibus, Alexandroviz tenent. Uterque ex Dynastiis peculiare regimen super eos, oppida reliquosque subditos exercet; & ab eorum sententiis immediatè ad Sacram Cæsaream Majestatem, vel Tribunal Regium Pragæ constitutum provocandum est. Reliquæ tres Dynastiæ præminentia Statuum majorum perspicuæ sunt Wartenberg, Ples & Militich, ex quarum possessoribus ille priorem tenet locum, cujus familia antiquiorem potest allegare Dynastiæ possessionem. Cæterum in publicis Comitibus omnes quatuor unicum colligunt Votum uni Principis integrum vel plures Ducatus possidentis Voto æquivalens. Fertilitate autem & commodo situ omnibus his palmam faciliè præripit Dynastia Drachenberg.

DRACHENBERG.

Nomen.



Ibera inferioris Silesiæ Dynastia Drachenberg, sine dubio nomen sortita est à multitudine serpentum ejusmodique reptilium,

quibus in palustribus præcipuè locis abundat; quamquam nunc temporis, post eximiam locorum omnium culturam, nulla jaculorum vestigia supersint, quorum tamen Incolæ adhuc meminerunt. Confines habet à Meridie Ducatum Olsnensem, ab Occidente Vratislaviensem & Wolanum, ab Oriente Dynastiam Militichensem, à Septentrione Poloniam. Philippus Cluverius situm ejus antiquorum Buriorum Terræ adscribit. Una est ex quatuor Silesiæ Dynastiis in Conventu Dominorum Principum & Statuum Silesiæ Sessionem Votumque, & instar Principum omnia Jura Ducalia habentibus, quarum Dynastis alii Comites, Barones, Statusque minores loco cedunt, utpote quibus Barones, Equites Nobiles, tanquam Landsassii subsunt. Irrigatur Borthâ sive Bartschâ, Horlâ & Schezga piscosissimis fluminibus, aliisque rivis ad movenda molendina textoria, farinaria & ferraria, irrigandasque piscinas mirè servientibus.

Piscina.

Piscinis enim, præter plurimas minores, octo spatiosissimis gaudet, adeo ut multitudine piscium, eximii præ aliis saporis, præcipuè luciis & cyprinis, & innumerâ anserum anatumque sylvestrium copiâ, Poloniae populosaque Vratislaviæ Prausnizio quatuor horarum itinere saltem distanti abundè succurrat.

Ager.

Ager ubique planus, in quibusdam locis sabulosus, non tamen sterilis, in plurimis tritici & ubique lini & leguminum ferax, præprimis autem equis armentisque & ovibus alendis commodus est, ex quorum foetu, & lana, cujus bonitate Silesia

omnes Germaniæ Provincias antecellit, non minùs largi, quam ex piscibus & cerevisiæ cocturâ colliguntur proventus. Sylvæ profundissimæ omnifere lignorum genere instructa & inter has pulcherrima querceta apris, capreis, vulpibus, felibus sylvestribus, multisque aliis ferarum generibus repleta nonnunquam & lynces alcesque. Aquæ etiam castores & lutras alunt.

Oppida.

Oppida habet duo, utrumque elegantissimo Templo Parochiali decorum; quorum Drachenberg antiquitate, Prausniz verò moeniis circumdatum ædificiorum structurâ, & Civium imprimis pannificum & textorum frequentia præstat; cui situs veteris Lucaristi haud incongruè respondet. Ad latus Templi Prausnicensis Sacellum & in eo Mausoleum calato marmore & alabastro superbiens & res gestas D. Melchioris Comitis ab Hazfeld & Gleichen, Cæsarei Campo-Marescalli exprimens communibus hæredum sumtibus exstructum cernitur. Utrique incumbit Arx, Drachenbergensis in uliginoso solo inter Borthâ meatibus Poloniam versus commode sita, jam Anno 1577. ex concluso Dominorum Principum & Statuum muniri iussa, tempore belli Germano-Suecici vallo fortalitiisque cineta, & à Suecis ad pacem usque Osna-bruggensem gravi vicinis Ditionibus præsidio detenta est.

Domini.

Hæc Dynastia olim ceu tota Silesia Pyastis paruit Principibus, quorum Regia stirps Anno 1675. cum Domino Georgio-Guilielmo Duce Lignicensi, Bregensi & Wolano ingentis spei Principe defecit. Anno 1329. Conradus Dux Silesiæ, Dominus Glogaviæ, hanc Dynastiam, ad exemplum aliorum Principum, à Johanne Lucemburgico Bohemiæ Rege Feudi titulo recognovit; deinde ad Barones de Kurzbach, post ad S. R. I. Semper-Liberos de Schafgotsh transiit, tandem verò ad Cameram Cæsa-

